



Q. F. F. S.

DISSERTATIO ACADEMICA,

QVÆSTIONES
ALIQVOT EX PHILO-
SOPHIA PRACTICA
DELIBANS,

QVAM

DEO T. O. M. bene Juvante,
P R Æ S I D E



DN. JOHANNE GEORGIO
SCHERZIO,

J. V. & Ph. D. & Philos. Practicæ Prof. Pub. Ord.
Cap. Thom. Canonico, & Facult. Phil. p.t. Decano
Spectabili,

In Alma Argentoratensium Univerfitate,

SOLENNI disquisitioni sistit

JEREMIAS ADAMVS LEITERSPERGER,

Argentinenfis, Autor & Respondens.

A. D. *Februarij* ANNO M DCC VIII.
horis locoque fol.



ARGENTORATI,

LITERIS JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

CHRISTIANISSIMI REGIS
MINISTRO,

V I R O

PER ILLUSTRIS ATQUE

EXCELLENTISSIMO, DOMINO,

D O M I N O

JOH. BAPTISTÆ

DE

KLINGLIN,

IN

INCLYTA ARGENTORATENSIVM
CIVITATE

PRÆTORI, ET CONSILIARIO
REGIO,

Patrono meo gratioso.



PERILLVSTRIS

D O M I N E

PRÆTOR REGIE,

Patrone Summe!




*Uamvis nulli ex insigni
illo Clientum numero, qui quoti-
die ad TE, tanquam ad Urbis
Oraculum confugiunt, justissima*

A 2

desint

desint causa, quibus ad perpetuam PERILLV-
STRIS NOMINIS TVI venerationem de-
vinciatur, nullus tamen, credo, inter omnes est,
qui tam singulari ratione ad obsequij devotionis-
que partes TIBI declarandas obstringatur, ac ego.
Alij inter reverentia causas referant Nestoream
illam, qua Urbi nostrae praes, Prudentiam; alij
divinum illud Eloquentiae stumen, quo, ceu Hercu-
les Gallicus, omnium animos ad TE rapis; alij
immutum Justitiae, Aequitatisq; studium; alij sin-
gularem TVAM erga REGEM fidem, erga
Cives benevolentiam, humanitatemque; Me &
hac omnia simul, & praeterea singulares plane cau-
sa ad venerationem TVI abripiunt. Scilicet est in-
ter illas non ultima, insignis illa, & omni nostro meri-
to major Benevolentia, qua Parentem meum,
& cum eo omnem familiam nostram humanissime
amplecteris; ita quidem, ut eo ipso Solem plane vi-
dearis imitari, qui, quamvis radios ad omnes Vni-
versi

versi plagas extendat, unam tamen pro altera re-
gionem sereniori, & clementiori vultu aspicit. Ac-
cedit & alia, quae mihi fere propria est, (si tamen
proprium dicendum est, quod & ad Parentes &
ad totam familiam spectat,) quod nempe TV is
fueris, qui, ceu Aesculapius alter, studiis meis
vitam animamque reddidisti. TV enim, PA-
TRONE SVMME, TV, inquam, solus me,
cum a Musarum castris aliorsum ferebar, aucto-
ritate & prudentia TUA in viam reduxisti.
TV es, cui debeo, quod inter Heliconis alumnos
TE Argentoratensium Musarum Protectorem,
alloqui nunc possim, & venerari, tanquam Uni-
versitatis Argentoratensis civis. Hinc non possum,
VIR PERILLVSTRIS, quin illorum studio-
rum, quae TIBI vitam debent, primitias quales-
cunque devoto nunc ac submisso animo offeram,
simulq; publice tester, me nexu mancipioque Tuum
esse. Admitte quaeso, VIR PERILLVSTRIS,



*levidense hocce fidei pignus, & uti amplissime fa-
cis, favere perge*

PERILLVSTRIS
NOMINIS TVI

humillimo Cultori

JEREMIAE ADAMO LEITERSPERGERO,
Ph. St. Aut. & Respond.



Bono Cum Deo!

QUÆSTIO I.

*An consecraturus vitam Arti Medicæ
operam dare debeat studio Ethices?*

N negativam omnino quæ-
stionis hujus abeundum est sen-
tentiam, si non paucorum Medi-
cinæ studiosorum opinioni admo-
dum perversæ credulas commo-
dare velimus aures; illorum scili-
cet, qui ex immaturo quodam pru-
ritu Philosophicæ eruditionis, ut & elegantiorum lite-
rarum satis ignari ad Medicinæ studium advolant, &
tempus studio Philosophico impensum inutiliter teri
arbitrantur; Rationes autem, quibus errorem suum
defendunt, sunt, quod Medicus suum finem absque
Philosophiæ Practicæ adminiculo obtinere valeat;
nec cognitio & præcepta ejus quicquam utilitatis ad-
ferre possint ad humoris vitiosi extirpationem, sanita-
tisque amissæ recuperationem; imò curandi me-
thodus Philosophica obstet potius, & ex Medicorum
Schola eliminanda sit. Favere sibi quoque putant Ga-
leni

sententiam, qui integro tractatu adstruat, quod mores temperamentum sequantur; item Hippocratem, qui ceu Gallego de la Serna in *Ethic. Puer. c. i.* observatum in lib. *de Aere, Aquis & Locis* tum alibi id agit, ut probet, *Affectus & mores appetitiva, & iracunda virtutis, & intellectiva potentia iudicia recta, aut errores, tanquam ab internis causis, oriri a temperamento cerebri, cordis, & hepatis: temperamenta vero variari a cibo, & potu, & aere ambiente.* Unde concludunt, tantum abesse, ut Medicinæ Cultor Morali Doctrinæ seu Ethicæ operam navare debeat, ut potius ii, qui perfectam Morum doctrinam callere volunt, ad Medicos recurrere debeant eorumque dogmatibus animum imbuerent.

Hæc omnia vero ut album iis adjiciamus calculum, animum inducere minime valent; potius ad patrocinium affirmativæ sententiæ accedimus, adhibita tamen commoda thesæos limitatione, atque homonymiæ vocabuli ipsius *Ethices* explicatione. Nempe nomen *Ethices* aliquando sumitur ita, ut denotet disciplinam de summo bono, de undecim virtutibus, & similibus questionibus subtiliter magis, quam utiliter agentem, qualis est fere *Ethica Scholasticorum*; (in quam invehitur *Sulpicius in Epist. de Stud. Academicis p. 254. & seq. Placc. in comment. de scientia morali augenda ad Verulam l. 7. de dignit. & aug. scient.*) aliquando vero ita, ut denotet illam disciplinam, quæ non tantum ostendit in quo situm sit summum hominis bonum, sed præterea naturam & conditionem hominis accurate considerat, & remedia, quibus homo a morbis animi liberari, & ad Sanitatem

mitatem perducì possit, ostendit; paucis, quæ vitæ magis, quam scholæ, prodest. De priori illa ambabus largimur, quod ea Medicinæ studiosus carere possit; posteriori autem hacce carere posse negamus. & quidem sententiam nostram probamus tum a necessitate, tum ab utilitate hujus disciplinæ. a Necessitate, quia videlicet, observante *Joh. Gallego de la Serna* in tractatu posteriori *de Ethica puerorum pag. 3.* nullo modo potest esse perfectus Medicus, nec finem intentum obtinere in certis casibus, nec sæpe e quæstionum involucris sese extricare, nisi etiam scientia Philosophiæ Moralis sit probe instructus, & imprimis habeat notitiam doctrinæ de animi perturbationibus, quæ morborum curationem, & humorum pravorum extirpationem labefactare, imo sæpe impedire possunt, nisi Medicus eas reprimere noverit. Etenim tam arcta inter corpus & animam copula est, ut unum substantiale compositum efficiant, necessarium ad actionem quandam producendam, & mutuam (licet diverso operandi modo & principio) habeant in se compassionum quarundam communicationem. *vid. Gallego l. c. & Aloysius Luisinus de compescendis animi affectibus p. m. 20.* qui notat, quod læso corpore, mœrore afficiatur quoque anima, & lugente anima, totum lugeat corpus, & quod hoc sine prævia animæ curatione non possit pristinæ restitui sanitati. *Galenus* quoque in *lib. Artis parva cap. 85.* ait: *liquet autem caveri oportere omnes immodicos animi affectus, videlicet, iræ, tristitiæ, furoris; hæc enim alterant, & a naturali statu corpus avertunt.* qui etiam in *Tract. de tuenda sanitate* ait, *febres & gravissimos morbos initium capere ex animi affectibus,*

quos feliciter minime curare poterit Medicus, nisi or-
ginem ac causam bene cognitam habeat. docet etiam,
quod omnino potior ac diligentior animæ passionum,
quam corporis, sit habenda ratio a Medico. porro
pro nostra sententia etiam militat, quod medico ne-
cessarium sit, ut habeat animum probe virtutum amo-
re imbutum & a vitiis alienum ob innumeras occasio-
nes, quas habet, arte sua abutendi, seu procurando abor-
tum, seu propinando venenum &c. Unde Hippocrates
perversæ indolis juvenes ad studium medicum addi-
scendum admittere noluit, quod nimirum ars illa,
ut valetudini conducentium, ita & adversantium
peritiam profiteatur, & ea ratione facile sua arte
abuti quis posse videatur. vid. *Herm. Conringius de Pre-
dentia Civili* cap. 13. pag. 277. Ab utilitate autem affir-
mativa probatur, quia conducit maxime Medico, ut
finem, quem arte sua quidem sæpius obtineri posse
novit, tanto facilius assequatur. uti multum etiam
ad felicem edendam curationem, nec non ad fa-
vorem hominum obtinendum facit, si diversos
cum diversis sciat miscere sermones; ad quod
ipsum Ethices studium potissimum aptum red-
dit. Ethinc sine dubio est, quod præstantissimi Me-
dici Hippocrates, Galenus & alii non tantum mul-
tum temporis in studio Ethico consumserint, sed
etiam doctissimis scriptis eruditionem suam Ethicam
Orbi probaverint. quod etiam quidam recentiorum
præstiterunt, ex quibus nominamus Aloysium Luifi-
num, Utinensem Medicum celeberrimum, qui de com-
pescendis animi affectibus per moralem Philoso-
phiam & artem medendi edidit elegantissimum libel-
lum

lum in octavo Basileæ Anno 1562. qui ad medicinæ
perfectionem accommodatus est; ne videlicet affe-
ctus impediunt morborum curationes. quam rem a
plerisque Medicorum hætenus neglectam esse acriter
contendit. conf. *Placcius* p. 75. de *Augenda Scientia Mo-
rali*. Ad rationes in contrarium allatas, respon-
dendum censemus, quod distinguendum sit (1.) in-
ter obtinere sanitatem æque bene & non æque.
cum plurimi morbi debitam curationem non acci-
pant, nisi prius affectus curentur, teste Galeno, in lib.
de parva arte. at vero horum curatio magnam par-
tem ex Ethica petenda. (2.) inter obtinere decenter &
debito modo, & obtinere quavis ratione, seu ita, ut suæ
curationis nullam causam proferre possit, & ex acci-
denti casu & forte fortuito finem suum obtineat;
quod Medicum probum maxime dedecet. Ut filea-
mus de quæstionibus ex. gr. an medicinam paratam
ex humano corpore liceat exhibere? an liceat foe-
tum interficere in dubio casu, ut fervetur mater? &c.
circa quarum decisionem ut is, qui Ethicis nullam
navavit operam, turpem in modum labatur, necesse
est.

Ad argumentum autem inde desumptum,
quod, uti Hippocrates & Galenus docent, mores
Temperamentum sequantur, respondemus distin-
guendo (1.) inter id, quod necessario, semper, im-
mutabiliter sequitur, & quod contingenter & ut
plurimum sequitur. (2.) inter necessitatem impo-
nere, & incitare; hoc concedimus, illud nega-
mus. (3.) Posito, quod Hippocrates & Galenus
necessario certos mores ex Temperamento sequi-

statuant, (quod tamen falsum,) arbitramur ipsorum autoritatibus multo plures opponi posse auctoritates, illasque non potiores esse debere rationibus. nunc autem clarum est, quod mores ideo nuncupantur, quia non natura, sed more, & assuetudine competunt nobis. stante autem illa sententia, mores non essent mores. Præterea pugnat illa opinio cum ipsa experientia; Nam sæpissime experimur rationem cum propensione temperamentum sequente pugnare & nonnquam rationem dominari, ut in Socrate apparet, qui, uti ipse de se fassus est, pessimis futurus fuisset moribus, si mores necessario sequerentur Temperamentum. Et sane si hoc certum esset, totum Ethicæ studium caderet; nec in homines malos, sed in naturam ipsam invehendum esset, nec laudi nec vituperio maneret locus. vide fusius hac de re agentem *Francisc. Piccolhomin. Phil. Univ. p. 175.*

QUÆSTIO II.

An probanda sit eorum ratio docendi, qui ad modum Artis Medicæ Philosophiam Moralem seu Ethicam tradunt?

A Ntequam decisiva feratur sententia, exponenda est Medicorum suam artem tradentium methodus.

us. Solent autem illi ita incedere, ut disciplinam suam dividant in partem Generalem, & in Specialem; quarum illa, uti *Placcius in Comm. de Morali scientia augenda p. 227.* loquitur, *medendi artem universim exponit; hæc autem singulis morborum speciebus expositam universim medendi rationem diversimode pro diversitate speciei applicat.* In Generali autem parte primo exhibent *Physiologiam*, quæ naturam humani corporis considerat. 2. *Hygieinam*, quæ de sanitate ejusdem agit. 3. *Nosologiam*, quæ de Morbis ejusdem tractat. 4. *Semioticam*, quæ signa ex quibus de sanitate vel morbis judicium ferri possit, explicat. 5. *Therapeuticam*, quæ remedia tum conservantia, tum restituentia sanitatem suppeditat. conf. *Scipio Claramontius de Conjectandis cujusq. Moribus & Latitantibus Animi Affect. in præf.* His ita expositis quæritur: An probanda sit eorum ratio docendi, qui ad modum artis Medicæ Philosophiam Moralem tradunt? Dubitandi ratio est, 1. quia hæc disciplinæ habent objectum diversissimum. Medicina scilicet corpus pro objecto habet; Philosophia Moralis autem animam hominis rationalem. 2. quia disciplina Moralis tanquam Practica, ordine Analytico tractari debet, atque adeo in ea primo agi de fine. Verum hæc rationes, ut ab affirmativa quæstionis proposita recedamus, nos non movent. primo enim diversitas objecti rem non conficit; nec sequitur, hæc disciplina habet diversum objectum, E. etiam diverso ordine tradi debet. Politica & Oeconomica habent diversa objecta, illa scilicet societatem civilem, hæc societatem domesticam, nemo tamen dixerit, eas diverso ordine esse tractandas; & sic in aliis. In primis autem diversitas

ordinis non debet adesse, si disciplinæ aliquæ eundem finem suis objectis conferre intendunt, uti fit in Arte Medica & Philosophia Morali. Nec tamen etiam harum modo dictarum disciplinarum objecta ita sunt diversa, ut non plurima habeant similia. Quod secundam rationem dubitandi attinet, dicimus, verum quidem esse, quod Philosophia Moralis ordine Analytico tractari, & primo loco de Fine agere debeat. sed id accipiendum est de fine φ, non de fine ψ. vid. *Dannharverus in Epitome Dialectic. p.170.* at finem φ considerat Physiologia Moralis, uti Hygieine finem ψ. Cur autem probemus hunc docendi modum in Philosophia Morali, ejus rei rationes sunt, quia tanta harum disciplinarum est similitudo, ut major analogia vix esse possit. Et hinc Græci æque ac Latini scriptores illam Medicinæ appellatione insignivere, notante *Placicio Comment. cit. p.17.* *Isidorus Originum lib.4. cap.13.* dicit: *sicuti per illam anima, ita per hanc corpus curatur.* *Cicero lib.5. de Finibus* ait: *Ars vivendi est Prudentia, ut Medicina valetudinis.* 2. quia hoc ipso inculcatur Philosophiam moralem non theoreticæ notitiæ, sed praxeos causa esse addiscendam, & uti *Seneca* loquitur, vitæ magis quam Scholæ discendam esse. cui accedit 3. quod per talem tractationem imperfectio illa doctrinæ Moralis, de qua tum alii, tum *Verulamius* in opere de *Augmento & Dignitate Scientiarum* tantopere queritur, tollitur. Scilicet, ita non tantum de sanitate aut morbis animi nostri agitur, sed etiam remedia debita tum conservantia, tum restituentia suppeditantur, & signa, per quæ tum de nostra, tum de aliorum conditione judicare possimus explicantur, & ad divinum illud

illud γυνῆσι σαυῖδιν via monstratur. Et hunc docendi modum non tantum prolixè passim commendat *Philosophus & Jurisconsultus celeberrimus Vincentius Placcius*, sed & ipse usurpat duobus in scriptis, quorum alterum lingua Germanica prodiit Hamburgi A. 1685. sub titulo: *Typus Medicinæ Moralis, das ist; Entwurf einer vollständigen Sittenlehr nach Art der leiblichen Arznei-Kunst*; alterum Latine extat sub Titulo, *Medicina Moralis inter Accessiones Ethicas, Juris Naturæ & Rhetoricas.* dolet hic Vir in allegato Commentario, quod famigeratissimi illius *Pauli Sarpj* opus de *Animi Medicina*, item *Scipionis Claramontij* Labor de *Medicina Morali* (cujus pars tantum est ejusdem Tractatus de Conjectandis cujusque Moribus & latitantibus Animi Affectibus) nullibi Gentium reperitur. In Doctrina Politica, id quod modo de Ethica dictum est etiam procedit; nam & ipsa sanitatem seu salutem sui objecti intendit. Pertinet huc egregius locus *Cauriana in præf. Commentar. ad Tacitum*; ubi dicit: *Ceux qui me critiqueront pour avoir cité Hippocrate en metier de gouvernement & pour m'etre servi de son temoignage pour prouver des maximes d'état, montreront bien par là, qu'ils ne croient pas, que les actions vertueuses des hommes ayent de la ressemblance aux operations de la nature, où jamais aucun Ecrivain n'a penetré plus avant qu' Hippocrate. Et si les Politiques appliquoient ses aphorismes au Gouvernement civil, ils connoitroient par experience, que ses preceptes sont un tres fidelle itineraire pour la conduite de la vie humaine.* Hinc etiam est, quod Philosophi & Historici subinde regulas de Corpore Naturali ad Corpus Civile applicent, vid. *Aristoteles*

teles Politic. lib.6.c.6. & passim. Inprimis autem id facit Historicus inter Pragmaticos facile Princeps, Cornelius Tacitus, qui haud raro ex Medicina similitudines & verba petit. Annalium lib.3. c.54. dicitur: Atqui ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, nisi per dura & aspera, coërceas, corruptus simul & corruptor, aeger & flagrans animus haud lenioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit. & paulo post: Hanc, Patres Conscripti, curam sustinet Princeps. Hac ommissa funditus Rempubl. trahet. Reliquis intra animum medendum est. Annalium lib.11. c.6. dicitur: nunc inimicitias, accusationes, odia & injurias foveri, ut, quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. Historiarum lib.2. c.28. habetur: si provincia, urbe & salute imperij potior sit, omnes illuc sequerentur: sin victoria sanitas, sustentaculum, columen in Italia vertetur, non abrumpendos, ut corpori, validissimos artus. Ut alia nunc omittamus. Hinc Eruditissimus Vir Reinhardus in Theatro Prudentiae Elegantioris ad Justi Lipsij Polit. lib.1. c.9. p.m. 364. dicit. Tacitus verus est affectuum Doctor & alter quasi Hippocrates. Scientia enim Artis Medica itinerarij loco inservit Politicæ: Moresq; ac affectus hominum cum corpore humano suam habent conjunctionem, cujus naturam Hippocrates accurate calluit. Inde tot e re medica petita similia apud Tacitum invenies. conferantur Philosophi & Medici insignis Scherbij scripta, qui passim dogmata Medica ad Politicam doctrinam applicare solet; inprimis autem inspiciatur ejus Dissertatio XIII. quæ inscribitur: Dissertatio Politica Medica.

QUÆSTIO III.

An in Republica bene constituta Medici sint tolerandi?

Videri posset negandam esse hanc quæstionem ex diversis rationibus. 1. quia Respublicæ *ἀντιπραειν* illam, quam, uti Politici docent, intendunt, sine Medicis obtinere possunt; id quod docent exempla diversarum Rerumpublicarum. In celeberrima Republica Romana, uti Plinius in *Hist. Natur. lib.29. cap.1.* docet, ultra sexcentos annos Medici non fuere. ait ille: *sicut Populus Romanus ultra sexcentimum annum nec ipse in accipiendis artibus lentus, Medicina vero etiam avidus* (scil. sine Medicis vixit) *donec expertam damnavit.* De Dania observat Reinhardus in *Theatro Prudentiae Elegantioris ad Lipsii Politic. lib.4. c.12. p.1396.* vix ducentos esse annos, cum Medici ibidem sedem fixerint, & quidem in exiguo plane numero. Ut alias Respublicas nunc taceamus. 2. quia Ars ipsorum incerta est & fallax; quod non tantum alii Viri eruditi, ut Petrarcha & Politianus in *Epistolis* suis hinc inde observant, sed & ipsorum Medicorum quidam fatentur. sic elegantissimus Medicus (Medicorum Ciceronem eum appellat Stephanus ad lib.1. Saxonis Grammatici) Cornelius Celsus eam dicit esse *Artem conjecturalem*; & Leonhardus Capuensis in scriptis suis hinc inde ostendere laborat *Artem Medicam omnium esse incertissimam & fallacem.* Quo pertinet etiam illud *Socratis*, qui apud *Platonem* dicit

nullam artem esse inconstantiorē Medica. 3. quia plurimum damni in Familias & per Familias Reipublicæ inferunt, dum, uti *Plinius in Historia Naturali lib. 29. cap. 1.* ait, *discunt periculis nostris & experimenta per mortes agunt.* Unde illa Imperatoris Hadriani vox: *Turba Medicorum me perdidit.* Ut nunc omittamus illud *Talmudicorum: Optimus Medicus meretur gehennam,* aut ea, quæ *Cornelius Agrippa*, qui ipse etiam Medicus fuit, & focii, contra Medicinam & Medicos magna cum indignatione proferunt. Respondemus autem ad primam objectionem, ἀνταρχειαν Rerumpublicarum non esse eodem modo comparatam, sed habere suos gradus, ita ut una Respublica multo majorem obtineat ἀνταρχειας gradum, quam altera. Unde distinguimus inter ἀνταρχειαν pleniorē & minus plenam; & negamus, quod Respublicæ illæ, quæ Medicis caruere, pleniorē illam ἀνταρχειαν sint consecutæ. Id quod aliqua ex parte inde videtur clarum fieri, quia illæ Respublicæ, postea Medicos recepere. sane cum ei, qui Civitatem vel recenter instituit, vel jam ante institutam bene administrare vult, incumbat curare, ut Cives sanitate, quantum fieri potest, optima gaudeant, multo felicius id præstabit ille, qui Viris prudentia, eruditione & experientia pollentibus, & talibus, qui omnem vitam in rimandis naturæ humanæ arcanis consumfere, sanitatem Civium curandam committit, quam is qui salutem temerariis cujusvis consiliis relinquit. Et huc omnino ducit insignis locus *Syracidæ*, qui *cap. 38.* dicit: *Affice Medicum suis honoribus convenientibus usui ipsius, etenim ipsum creavit Dominus: Nam ab Altissimo curatio est, cujus nomine etiam a Rege percepturus est gloriam*

riam. Scientia Medici exaltat caput ipsius, adeo ut coram magnatibus sit admirationi. & paulo post: Deinde Medico da locum, etenim ipsum creavit Dominus, neq; absistit ab eo, etenim opus est eo. Est interdum tempus, quum manibus eorum prosper successus advenit.

Forte etiam dici posset exempla Reipublicæ Romanæ & Danicæ parum huc facere, cum in iis nondum ea luxuria, & intemperantia, (quæ plurimorum morborum causæ sunt) regnaverit, quæ hodie regnare apud nos solet. quod eleganter etiam observavit *Aloysius Luisinus*, qui in *prefat. elegantissimi libelli de Compefcendis Animi affectibus per Moralem Philosophiam & Medendi artem*, ita loquitur: *Populus Romanus dum rationi paruit, rectam nimirum vivendi sibi normam præscribens, Medicis potuit ad annum usq; sexcentessimum carere. Ubi vero aucto Imperio acuta est etiam & immutata vivendi norma, illato nempe, qui de fuerat prius, vario rerum luxu, tunc ita Medicorum officio indiguit, ut nullo pacto vivere absq; eorum opera potuerit. Caterum nulla unquam ita Medicis indiguisset ad humani corporis vitam producendam, ut nostra hæc tempora existimaverim; tam pauci enim sunt hodie, qui rationis ductu gubernentur, ut nullam rationalis animæ vim homini fuisse fere dicas, usq; adeo animi affectibus omnes obtemperant, usq; adeo corpori incrassando indulgent.*

Ad alteram objectionem respondemus negando, quod omnis Medicina sit conjecturalis & fallax; finem quidem suum interdum non obtinet, propterea tamen non est tanquam fallax rejicienda. Id enim si esset, multæ artes nobilissimæ rejiciendæ etiam essent, ut Bellica, Oratoria & aliæ. vid. *Franciscus Bertini in Medicina defensa.*

Ad tertium respondemus, damna in Rempubli-
cam redundantia per imperitiam vel incuriam
quorundam ex iis, qui Medicorum nomine splen-
dent, toti ordini non esse imputanda; nec propter
Judam proditorem totum Apostolorum chorum
esse repudiandum. Id potius curandum est, ut pru-
denti selectu a Rerumpublicarum Curatoribus Lu-
pi ab Ovibus, Medicastrum a Medicis discernantur.
Cives etiam ipsi admonendi sunt, ut talium Medica-
strorum consiliis inconsultis abstineant. Id enim
nō fiat, in ipsos quadrabit elegantissima *Phædri* fabula
quæ XIV. ordine est, & ita sonat:

*Malus cum Sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere cœpisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosus sibi acquisivit famam strophis.
Hic cum jaceret morbo confectus gravi
Rex Urbis ejus experiundi causa
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
Antidoto miscere illius se toxicum,
Hoc bibere jussit ipsum posito premio;
Timore mortis ille tum confessus est,
Non artis ulla Medicum se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione hoc addidit:
Quanta putatis esse vos dementia,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?*

Scommata Luciani redivivi, *Cornelij Agrippæ*, & so-
ciorum morari nos non debent, cum in innocentissi-
mos

mos hominum talia a profanis & maledicis jaçtentur.
Non autem tolerandos tantum, sed etiam omni hono-
re afficiendos esse Medicos arbitramur, quia omnes
bonæ artes & scientiæ in bene constitutis Rebuspubli-
cis fovendi debent. nobilissima autem ars est Medici-
na, utpote quæ & rem nobilissimam pro fine habet, &
circa cognitionem creaturæ nobilissimæ versatur.
Accedit Utilitas & Necessitas, in primis tempore pestis,
aliorumque morborum grassantium, quibus totæ for-
te Civitates extinguerentur, nisi nobilissima Medico-
rum natio se vel cum vitæ periculo eis opponeret. Ut
alia nunc omittamus.

QUESTIO IV.

*An liceat corpora mortuorum Ana-
tomis dissecare?*

PRO negativa est sententia Empiricorum, quam re-
fert *Cornelius Celsus* in præf. Operis de *Medicina*
p. m. 13. ubi hæc habentur: *Ob hæc, ne mortuorum qui-
dem lacerationem necessariam esse dicunt. Quæ etsi non
crudelis, tamen fæda sit, ac aliter plerâq; in mortuis se
habeant.* Negativam quoque fovet supra nominatus
Cornelius Agrippa de *Vanitat. scient.* cap. 86. ubi notat,
quod *Medici humanum corpus dilaniantes, membrorum
singulorum situm, ordinem, mensuram, opera, naturam &
abditâ quæq; perquirant ac rimentur: ut inde quomodo
& quibus locis curandum sit addiscant crudeli hæc diligen-
tiâ atq; spectaculo horrendo & abominabili, nec minus im-
pio.* His accedit *Kornmannus* de *Miraculis mortuorum.*

cap. 35. qui quidem ex principiis Juris Civilis potissimum pugnat, simul tamen satis ostendit, quod Anatomiam Jure etiam Naturæ illicitam esse statuatur. Hinc dicit, se præferre negativam sententiam, utpote non tam sevam & iniquam in mortuos, nec tam foedam nauseam plenam; in sequentibus appellat eam etiam *sevitiam in defunctorum cadavera*.

Rationes autem pro hac negativa sunt, quia res sit foeditatis plena cadaveris humani membra dissectare, & per dissectionem intestina ejus aliaque interiora sæpissime mirum in modum corrupta, aliorum hominum oculis exponere. quia deinde Jure vel Naturali vel Gentium Universali mortuis sepultura debeatur, in tantum, ut ne quidem hostibus deneganda illa sit, ceu illud & rationibus & infinitis fere Veterum testimoniis probat *Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis lib. 1. c. 19.* & *Petrus Faber in Semestribus lib. 2. c. 1. p. m. 7. seqq.* quod etiam sancitur Jure divino revelato. nam *Genes. 3, 19.* dicit Deus Adamo: *Tu es Terra, & in Terram reverteris.* Clarum autem est privari sepultura eos, quorum carnes in varia frustra dilacerantur, quorumque ossa, filis ferreis vel æneis juncta, ad ostentationem sedulitatis Anatomicæ in Theatris Anatomicis aut alibi oculis exponuntur. quia denique injustum sit vel innocentes punire, vel nocentes duplici poena afficere; quorum illud fiat, si hominum, qui nil deliquere, corpora misere lancinantur; hoc autem, dum ii, qui poenas meritas sustinuerunt, post mortem ad iteratas Anatomicorum poenas revocantur. Cui accedit, quod inutilis fere hic labor sit, quoniam in vivis interiorum conditio se aliter habeat, quam in cadaveribus

ribus hisce; quoniam etiam exemplo Judæorum aliorumque constat sufficientem Medicæ Artis cognitionem haberi posse sine hisce dissectionibus. Sed Respondemus ad primam dubitandi rationem a foeditate desumptam, distinguendo inter foeditatem Naturalem seu Physicam, & Moralem seu Ethicam; quæ probe sunt separandæ, potest enim adesse, & est in multis rebus foeditas naturalis, ubi tamen non est moralis foeditas. Sic posito, quod in Anatomia sit foeditas naturalis, non adest tamen foeditas moralis, quæ tamen sola illam faceret illicitam. Et cur, qui hac ratione utuntur, admittunt brutorum dissectiones, quæ etiam foeditatem adjunctam habent, si omnem foeditatem rejiciunt?

Alteram objectionem quod attinet, ad illam dicimus Anatomiam per se sepulturam non tollere; posse enim alicujus corpus dissectari, & tamen illud postea sepeliri. præterea notamus nondum adhuc clarum esse, quod Jure vel Naturæ vel Divino revelato vel Gentium præceptum sit, quod homines debeant sepultura proprie dicta, qua scilicet corpus terra obtegatur, sepeliri. Id enim si esset, non liceret, quod & Ægyptii creberrime fecerunt, & hodie adhuc non raro, in primis circa funera personarum illustrium, fit, corpora balsamo inungere, & in certis Cameris vel Capellis supra humum asservare; non liceret etiam reorum combustorum cineres fluvio vel mari inspergere.

Ad tertiam dubitandi rationem respondemus negando ita puniri mortuos. in eos enim qui sensu & ratione carent, poena non cadit; nec injuria fit vel humanitati, vel mortuorum amicis, aut cognatis, si citra

in-

injuriandi animum ad hauriendam corporis humani notitiam dissectio fiat, imprimis si corpora reorum adhibeantur. Denique ad ultimum argumentum, quod nempe Anatomia inutilis sit, respondemus 1. Judæorum exemplis nil probari. nondum enim manifestum, Judæos omnibus dissectionibus abstinere, & posito quod hoc faciant, nondum probatum est, quod non melius artem Medicam sint facturi, si Anatomiam exercerent, quam sine illa sit. 2. dicimus, etiamsi quædam fiat mutatio in corpore per mortem, non tamen tantam fieri, ut de vero statu corporis nihil possit cognosci. Imo *Celsus* in supra allegata præfatione dicit, *Cadavera positum & ordinem melius representare, quam homo vivum & vulneratus representet.* Licitam autem esse hanc corporum - humanorum dissectionem probamus, 1. quia illam sua natura & per se nulla cum injuria nec in defunctum, nec in ejus cognatos & amicos est conjuncta. 2. quia propter bonum finem, salutem nempe humani generis instituitur. Et si licet homines facinorosos vivos equis discerpere vel in frustra dissecare, cur non liceat eosdem mortuos ad salutem humani generis Anatomicorum more dissecare? Recte omnino beatus *Dn. D. Zentgravius* in *Summa Juris Divini* section. 2. subsect. 2. §. 8. *Natura nostra dignitas non impedit, quo minus sectiones Anatomica Corporis Humani, ejus imprimis, quod extremum ex causa delicti sustinuit supplicium, institui possint; quas varia infirmitates atq; necessitates, quibus fragilis ejus structura est obnoxia, potius in communem omnium salutem exigunt, ita, ut referri possint inter ea, quæ ad corpus nostrum sanum conservandum necessaria sunt, necessitate medij, & proin ad bene vivendum*

dum finemq; societatis humanae pertinent. Addit *Vir Eruditissimus: Kornmanno* quidem sententia negativa magis probatur, utpote non tam sava & iniqua in mortuos, nec tam fœda, nausæq; plena. *Verum sævum esse dici nequit, quod non ex ira, odio aliog; maligno affectu proficiscitur; cum, qui sectiones istas instituunt, neq; vulneribus, neq; dolore hominum gaudeant, sed generis humani salutem, & veri ad artem medicam, qua vita hominum socialis carere nescit, necessarij investigationem spectent.* Nec iniquum censendum, quod summum Civile imperium concedit, ex jure, quod habet in caput civis ex delicto, ob quod de ejus vitâ & corpore disponere potest; & quod unice, in ipsius naturæ humanae commodum necessario instituendum fuit. An autem idem iudicium ferendum sit de facto *Herophili*; qui, uti *Tertullianus de Anima* cap. 10. observat, *sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur*; seu de dissectionibus vivorum, (quas etiam *Vesalium* & *Jacobum Carpum* instituisse ferunt,) subsisto, illiusque quæstionis decisionem maturioribus annis referro.

QVÆSTIO V.

An Vera Amicitia inter Pocula possit contrahi?

CUM Amicitia sit res ita pretiosa, ut *Cassiodorus* in *prolog. lib. de Amicitia* non dubitet dicere: *Amicitia est divitibus pro gloria, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, pro Medicina agrotis, mortuis pro vita, merito homines cogitant de ratio-*

ne & modo Amicos sibi comparandi. Inter illos autem modos cum & computationes à quibusdam referri videamus, liceat inquirere, An Vera Amicitia inter pocula possit contrahi? Nos illam affirmari posse censemus. Pro Negativa est, quod, antequam cum aliquo Amicitiam contrahas, multa & diuturna deliberatione opus sit; seu, ut modium salis cum iis, quorum de Amicitia quaritur, consumseris, uti docet vulgare proverbium, cuius meminit *Aristoteles lib.8. Nicom. cap.3. & Eudem. lib.7. c.2.* quam in rem notabilis est locus *Plutarchi*, qui in *lib. de Multitud. Amic.* ita loquitur: *Non facile recipere debemus, neq; temere conjungi cum quibusvis nos compellantibus, neq; amare eos, qui nos sectantur, sed potius sectari dignos amicitia. Non enim semper dignum est, quod amplectere quicquid facile paratu est. nam, ut ericam & rubum, quæ nos apprehendant, calcantes & dimoventes ad oleam vitemq; ferimur: sic non debemus perpetuo eos, qui se nobis applicant admittere in amicitiam, sed ipsi potius apprehendere eos, quos experti sumus dignos esse amicitia, usuiq; futuros. Sicut igitur Zeuxis quibusdam culpantibus, quod tarde pingeret, respondit: Fateri se, multum se temporis insumere pingendo, quia in multum tempus vellet ea durare, quæ pinxisset; ita multo tempore probata amicitia perdurabit.* 2. Quia vinum usu rationis privat; Ebrietas enim, uti *Basilius in Exhortat. ad filium* dicit, inimica est prudentia; ubi enim mens à vino obruitur, idem ei contingit, quod imperitis aurigatoribus, qui, cum regere currum nesciant, & se suosq; equos huc atq; illuc circumagunt, & spectatoribus magnos risus excitant. At vero ad contrahendam Amicitiam magna prudentia & circumspectione opus est, tanto-

tantoque majori quo plus periculi ab amico falso imminet: *Quod enim majus ulcus, quam malus amicus?* dicitur apud *Sophoclem*. 3. Quia vera Amicitia pro fine primario habet honestatem; pro secundario autem demum jucunditatem, uti observat *Aristoteles Nicom. lib.8. c.2. seqq.* Nunc autem Amicitia pocularis pro primario fine habet jucunditatem. 4. Quia hic mos coepit à Juvenibus, de quibus constat, quam facile labantur. Hinc eorum mores apud illos, qui atate sunt proveciores, in legem ire non debent.

Ad has objectiones nunc ut respondeamus par est. Dicimus autem ad primam, verum quidem esse, quod regulariter multo tempore opus sit ad prudenter contrahendam amicitiam; posse tamen fieri, ut vir (non quilibet, sed) prudens, & qui exercitatus est in arte explorandi ingenia, brevi admodum tempore, inprimis occasione alicujus conversationis jocosæ & hilaris, alterius ingenium exploret, adeoque ad contrahendam amicitiam accedere possit. Eo magis autem hac occasione utiliter utitur vir Prudens, quo certius est, quod Vinum mentis speculum sit, quodque ejus, qui aliquantulum largius vinum hausit, mores & animus se maximopere prodant; qua de re elegantissime *Plutarchus in proœmio Quæst. Convivialium lib.3.* hunc in modum loquitur: *Plato in vino maxime plerorumq; hominum animi affectiones existimat posse perspici. Et Homerus cum caneret:*

*Neq; mensa his intervenerat usus,
satis ostendit, ita se existimare, vini & mensa communio-
nem plurimum ad notitiam mutuam conducere. Non
enim contrahitur notitia inter tacite edentes & bibentes:*

sed ad loquendum provocat vinum: inter loquendum multa aperiuntur atq; deteguntur alias arcana, in vicemq; innotescunt compotores, ut non inepte Æsopum ille increparit, Quid quaris, eximie vir, illas fenestras, per quas in alterius cogitationes alter potest inspicere; vinum enim nas aperit ac ostentat, non sinens latere; sed speciem atque larvam adimit, lege, tanquam Pedagogo, latissime semota; proinde Æsopo, Platoni, & si qui alij examinare quempiam volunt, utile esse potest merum. Cui accedit, quod Amicitia conciliatio inter pocula non necessario & præcise excludat antecedentem deliberationem; potest enim quis inter pocula amicitiam, de qua ineunda ante deliberavit, alteri declarare, & firmamenti loco poculum in sanitatem alterius declarationi suæ addere. Ad secundam objectionem respondemus, quod non omnis vini usus rationem tollat, sed immodicus. De poculis autem immodice haustis nos non loquimur, sed de poculis hilaritatis: quæ pocula tantum est, ut rationis usum tollant, ut potius animum acuant & excitent; huc pertinet illud Maximi Tyrj in Diss. II. dicentis: Deliberare in conviviis Persæ, sicut in concionibus Athenienses solebant. Cum enim per Legem inebriari nefas esset, modicus vini usus, non aliter, quam oleum igni affusum, animos eorum excitabat, ut nec ardorem eorum penitus restingueret, nec ultra tamen, quam necesse esset, accenderet. Tertiam dubitandi rationem ita solvimus, ut dicamus, verum quidem esse, quod amicitia inter pocula contracta non raro jucunditatem vel tantum, vel primario quærat; sed, quod id vel semper fiat, vel non aliter fieri possit, negamus. In plerosque horum amicorum quadrat quidem illud Martialis lib. 2. Epigr.

Hanc

Hanc, quem vina tibi, quem mensa paravit amicum
Esse putas vera pectus Amicitia.
Vinum amat, & cyathos, & sumina, & ostrea, non te.
Sublato vino, nullus amicus erit.

sed in plerosque tantum quadrat, non in omnes. Quod ultimam attinet rationem, quod nempe hæc res a juvenibus originem traxerit, adeoque a provectioribus ætate probari non debeat, illa admodum est fragilis; nam nec probari poterit a juvenibus eam cœpisse, nec etiam, quod quæ aliquo modo a juvenibus originem habent, indistincte sint rejicienda. Affirmativam autem nostram inde potissimum confirmamus, quia nec naturæ Amicitia, nec poculorum repugnat, si inter pocula hilaritatis modice hausta amicitia sinceræ fœdus contrahant viri probi & prudentes. Et hanc sententiam nostram confirmat Plutarchus in Convivio septem sapientum, apud quem Mnesiphilus ex mente Solonis loquens dicit: Ergo Veneris etiam opus non est concubitus & corporum commixtio, neq; Vinum & ebrietas Bacchi; sed, qui his conciliatur Amor & desiderium, ac mutua consuetudo ac familiaritas. Hæc divina opera Solon vocat, eaq; se ait diligere & consecrari maxime in senectute. Est autem amoris Virorum & mulierum mutui effectrix Venus ob voluptatem corporibus simul commiscens ac colliquefaciens animos. Multi porro non admodum inter se noti atque familiares à Baccho vini, veluti ignis opera cujusdam, ingenitis emollitis principium aliquod con-temperationis inter se amicitiaq; nanciscuntur.

QUÆSTIO VI.

An Juramentum, quod Prædo, Latro &c. metu injusto extorsit, obliget?

AD hanc quæstionem antequam respondeamus, notandum nos non loqui de juramento, quo quis firmavit promissum de re illicita e. g. quod hunc vel illum innocentem velit occidere, &c. de hoc enim in confesso est, quod non obliget; quia male juratum p̄, jus servatur; sed de juramento quod accedit promissioni licitæ. Casus hic est: Titius incidens in latrones vi coactus promittit jurato se illis altera die allaturum esse centum thaleros. Quæritur an hoc juramentum obliget? In hujus quæstionis decisione magna est Doctorum dissensio, aliis eam affirmantibus aliis negantibus. Pro affirmativa allegatur, quod juramentum sit fidei pignus firmissimum; ideo ab hominibus receptum, quia nullum vinculum arctius visum, quam id, quo quis renunciaret divinæ, bonitati ac misericordiæ & sese gravissimæ pœnæ ac vindictæ Dei O. M. qui omnium actuum humanorum testis atque arbiter, & bonorum brabeuta, malorum vindex & ultor severus, se submitteret, tam quoad animam, quam quoad corpus, nec tantum in hac vita sed & post eam, si aut falsum esset, quod quis assereret, aut, quod promissum, non servaret, uti loquitur *Schilterus in Manud. Phil. Mor. ad Jprud. §. 14.*

2. Quia in juramento non tantum respicitur persona, cui juratur, sed is, qui juratur Deus, qui ad obligationem pariendam sufficiat. Scilicet, etsi personæ (cui juratur) jus deficiat, cum Deo negotium est; quæ de causa etiam juramentum voti nomine nuncupetur; seu

seu Deo obligatio specialis & jus quaesitum ex Renunciatione bonitatis divinæ & imprecatione pœnæ divinæ oritur. *vid. Grot. de Jure Belli & Pacis 2, 13, 15. & 3, 1, 19.*

3. Quia lex socialitatis talia juramenta servari vult. Nam, uti *Hedingerus in Conspectu Naturalis Jurisprud. Tit. 24. §. 11.* loquitur, *nisi latronibus fides* (sc. ratione juramenti vi extorti) *habeatur, eis, qui mala fortuna in nefarias eorum manus incident, indubia nece pereundum erit.*

Nos negativæ accedimus, nec hæcce ratiocinia tam firma esse putamus, ac prima specie esse videntur. Respondemus autem ad primum, non obstare, quod juramentum sit firmissimum fidei pignus. nam juramentum etiam de re illicita est juramentum & per consequens firmissimum fidei pignus, nec tamen obligat: unde apparet præsupponi, ut cætera omnia recte se habeant; id quod in juramento Prædoni facto non reperitur. Ad alterum respondemus, nondum satis siquere, quod Deo speciale jus oriatur ex juramento quovis. Sane si hoc esset relaxationes Juramentorum, quas partim a privatis, partim a Magistratu fieri videremus, in conscientia non liberarent; quod & observat *Hertius in Diss. de Lytro sect. 6. §. 24.* ubi dicit: *Omnes concedunt remitti posse Jurisjurandi religionem ab illo, cujus causa juratum vid. l. fin. D. qui & a quibus manumiss. c. 2, X. de Sponsal. & nobile exemplum jurisjurandi Alphonsi M. a Mauris remissi Anno 1085. apud Rodericum Rer. Hispan. c. 24. Certum quoque est in Civitatibus hujusmodi Jusjurandum a summo Imperante vel auspiciis ejus relaxari; simul ergo concedendum est, obligationem principaliter Deo quaesitam non esse, quippe tantum ad testimonium & temere fallentis vindictam vocato; sine ullo autem testis vel sponsa-*

vis injuria fit, si consensu eorum, qui inter se obligati sunt, & contractu receditur; multo magis, ubi obligatio jure natura est irrita. Ad tertium respondemus, nondum adeo certum esse, quod, si juramentum Prædoni datum non servemus, alii indubia morte sint perituri; imo etiam si id fieret, nos proprie cædis illius causa dici non possemus: cui accedit, quod etiam lex socialitatis velic, non alendam esse pravorum hominum malitiam; at vero id fit, si ex.gr. juramento pronissi centum thaleri prædoni exsolvantur. Rationes autem pro negativa sunt, quia juramentum est accessorium pacti seu promissi, quod scilicet præsupponit pactum vel promissum. Si itaque promissum est invalidum, etiam ipsum invalidum erit. Dum enim juramus (ait *Buddeus in specim. Jurisprud. Hist. §. 70.*) *supponimus aliquid, quo non præstito divinam in nos provocamus pœnam. Atq. ineptum hoc esset, nisi illicitum foret, non præstare id, quod supponitur, adeoq. nisi jam antea obligaremur.* Deinde quia, uti nullum promissum jus dat alteri, nisi acceptetur ab eo, cui promittitur, ita etiam juramentum sine acceptatione non obligat: Nunc autem prædo acceptare non potest ob defectum juris acceptandi; Deus autem acceptare non vult. quis enim credat Deum summe bonum justumque acceptaturum Juramentum, quo ab innocente vi injusta homo pessimus ad alendam malitiam suam extorquet. conf. *Pufendorff. de Jure Nat. & Gent. 4, 2, 8. Becman. Polit. Parallel. 5, 5. Hertius in Diss. de Lytro sect. 6.* qui ita concludit: *Ceterum hac non eo allata volumus, quasi illis exprobremus, qui tenera conscientia sensu ducti jusjurandum tale servandum arbitrantur.*

QVÆSTIO VII.

An Viro probo liceat mendacium dicere?

PRO negativa hujus quæstionis est, quia mendacium est res turpissima, ingenuo homine indigna, DEO & hominibus exosa. 2. quia habet Auctorem pessimum, Diabolum scilicet; qui uti Joh. 8, 44. dicitur, est *Pater Mendaciorum*. 3. quia involvit abusum membri præstantissimi, linguæ nimirum; quæ ideo hominibus a summo Creatore est data, ut mentis suæ sensa & cogitationes aliis declarare & communicare possint. 4. quia per mendacia omnis vita humana misere turbatur, & officia, quæ socialitatis ratio ab hominibus exigit, impediuntur. Ad has dubitandi rationes ut bene respondeatur, opus est, ut ante omnia homonymia vocis evolvatur. Sumitur autem vox *Mendacium* interdum ita, ut denotet sermonem cum re non convenientem, qui tamen convenit cum cogitationibus loquentis e.g. si is, qui putat chimæram esse animal, quod revera existit, alicui dicat chimæram esse in rerum natura. hoc sensu vox *mendacij* seu *ψεύδης* accipienda est apud *Polybium*, qui dicit *ψεύδος mendacium*, aliud esse καὶ ἀγνοίαν, aliud καὶ ἀπροσίπειον. Interdum vero ita accipitur, ut denotet sermonem cum cogitationibus non convenientem, ubi tamen alter jus non habet cogitationes nostras cognoscendi. hoc sensu apud *A. Gellium lib. 15. c. 21.* dicitur, *Sertorium ad milites suos mentitum esse,*

ſe mendacium prodeſſe cenſebat. Interdum vero ita accipitur vox *Mendacium*, ut denotet ſermonem cum cogitationibus non convenientem ad eum, qui cogitationes noſtras cognoscendi jus habet. His præmiſſis ad dubitandi rationes reſpondemus, illas accipiendas eſſe de Mendacio in ultimo ſignificatu; quæ ſignificatio etiam eſt famoſior; non autem de Mendacio in quocunq; ſenſu accepto. Et hinc nos etiam aſſerimus licere aliquando Viro bono mendacium dicere, ſeu licere verbis, quæ a cogitationibus animi diſcrepant, uti. Aſſertionis autem noſtræ fundamentum eſt, quia ex Jure Naturæ ſermone, cujus finis eſt, ut vita ſocialis conſervetur & promoveatur, ita utendum eſt, prout natura & ratio Socialitatis requirit. nunc autem ſocialitatis ratio a nobis requirit, ut commoda aliorum promoveamus, & damna avertamus; quod interdum fieri non poteſt, niſi ſermone ficto; licebit ergo tum alio, quam cogitationibus conveniente; ſermone uti. Ita medico licebit, ſi videt ſatius eſſe, ut ægrotus morbi conditionem non intelligat, aliud ægroti de morbo indicare, quam ipſe ſentit. Unde etiam *Andronicus Rhodius* de eo dicit: *decipit quidem, deceptor tamen non eſt.* plura hac de re vide apud *Grotium de Jure Belli & Pacis lib. 3. c. 1.* adde *Pufendorffium in Jure Nat. & Gent. lib. 3. cap. 4. §. 8. ſeqq.* *Buddeum in Elementis Phil. Pract. part. 1. cap. 11. §. 3. ſeqq.*

DEO SOLI GLORIA.

Dum

DUM PATRIS inſignes ſtupet Argentina labores,
 Queis ille, ut Cyneas, publica fata juvat.
Tu quoque mirandum *Te* docti Civibus Orbis
 Siſtis, & immenſo cuncta ſtupore replet.
 Sedenos vixdum vidisti floridus annos,
 Et jam *Te* in cathedra ſiſtis, Amice, Virum.
 Qualis eris, cum *Te* major perfeceſcit ætas,
 Si *Te* jam tantum prima juventa facit!
 Perge ita ſuſceptos bene continuare labores;
 Papinianus eris, aut eris Hippocrates.

NOBILISSIMO DN. RESPONDENTI

ita gratulatur

Differtationis Præſes

JOH. GEORGIUS SCHERRZIUS, D. & P. P.
 & Fac. Phil. h. t. Decanus.

*Si memoranda Tuæ videas cognomina Gentis,
 Exempli dubius Nobilitate ſtupes;
 Hunc ſequar aut illum ꝑ dicens. Te Curia Patrem
 Sperat, Te Baldus, Te Medicina cupit.
 Ex animo ſcrupulum votis, permitte, revellam.
 Te Bezæ Gemini ſplendor opeſq; manent.
 Alter Taboris veſtigia clara ſequetur.
 Tertius è fratrum ſanguine Conſul erit.*

Hæc ad inſigne Profeſtuum Philoſophicorum Specimen
 deproperare voluit

LEITERSPERGERIANÆ FAMILIÆ

Cultor perpetuus

DANIEL PEEFFINGER, D. P. P.

E 2

Perge

Perge tuo, Solers quæso! conamine perge,
Et Sophicos hortos pectore & ore riga.
Nullus enim medicam tractat feliciter artem,
Nec facile illius dogmata nosse potest;
Ni quoque cognitio Sophiæ præcesserit antè
Linguarum & studium, magnaque notitia.
Hoc Te scire probat tua dissertatio præsens;
Illa bene ut cedat, sic juvet ipse Deus!
Nobile MAJORUM Nomen famamque TUORUM
Ut renovare studes, sic revocasse proba.
O LEITERSPERGERUM Abavum patriæ atque Parenti
Redde, Fori hoc Urbi nobile redde decus!
KÜEFFEROS tres redde orbi! sic publica per Te,
Sic privata etiam vivet ubique salus.

hac apponere voluit

Nobilissimo DN. RESPONDENTI
LEITERSPERGERIANÆ DOMUS
devotissimus Cultor

Joh. Mel. Eschenauer, Præcept. domest.

Nunc stupeat merito conamine docta juvenus,
Quo quaris magnas, Juvenum Clarissime, laudes.
*Si memor incepti fueris, memor atq; Parentis,
Tunc, o quot lauri quondam tua tempora cingent!*
Frid. Saltzmann, Phil. Cult.

Aripe jam solium LEITERSPERGERE Dearum,
Quod nunc ascendis, pectore magnanimo.
Auxilium Numen Tibi det, quo studia cedant,
Nominis in laudem, commoda magna tua.
Gothof. Henr. Rapp, Ph. St.

Mi frater! faustum successum det Tibi Numen,
Conamens, Tuum prosperet auxilio.
*Quo magnum è cathedrâ nomen laudemq; reportes
Non Te premia, non commoda destituent.*
Joh. Philippus Leitersperger, Secundæ Class. Discip.